

**anonymus**

aus: *Carmina Burana* - komplette lateinisch-deutsche Ausgabe

© 1974 - 1. Auflage, Artemis Verlag, Zürich und München

## In taberna

In taberna quando sumus,  
non curamus, quid sit humus,  
sed ad ludum properamus,  
cui semper insudamus.  
quid agatur in taberna,  
ubi nummus est pincerna,  
hoc est opus, ut queratur,  
sed quid loquar, audiatur.

Quidam ludunt, quidam bibunt,  
quidam indiscrete vivunt.  
sed in ludo qui morantur,  
ex his quidam denudantur;  
quidam ibi vestiuntur,  
quidam saccis induuntur.  
ibi nullus timet mortem,  
sed pro Baccho mittunt sortem.

Primo pro nummata vini;  
ex hac bibunt pro libertini.  
semel bibunt pro captivis,  
post hec bibunt ter pro vivis,  
quater pro Christianis cunctis,  
quinq̄ies pro fidelibus defunctis,  
sexies pro sororibus vanis,  
septies pro militibus silvanis.

Octies pro fratribus perversis,  
novies pro monachis dispersis,  
decies pro navigantibus,  
undecies pro discordantibus,  
duodecies pro penitentibus,  
tredecies pro iter agentibus.  
tam pro papa quam pro rege  
bibunt omnes sine lege.

Bibit hera, bibit herus,  
bibit miles, bibit clericus,  
bibit ille, bibit illa,  
bibit servus cum ancilla,  
bibit velox, bibit piger,  
bibit albus, bibit niger,  
bibit constans, bibit vagus,  
bibit rudis, bibit magus.

Bibit pauper et egrotus,  
bibit exul et ignotus,  
bibit puer, bibit canus,  
bibit presul et decanus,  
bibit soror, bibit frater,  
bibit anus, bibit mater,  
bibit ista, bibit ille,  
bibunt centum, bibunt mille.

Parum durant sex nummate,  
† ubi ipsi immoderate  
bibunt omnes sine meta,  
quamvis bibant mente leta.  
sic nos rodunt omnes gentes,  
et sic erimus egentes.  
qui nos rodunt, confundantur  
et cum iustis non scribantur.

**Worte:** vor 1250 **anonymus**